

CAPUT I

De initiis muneris pastoralis Franciscanorum apud Croatos

Ex circumstantiis temporis et vicissitudinibus religiosis apud populum croaticum decursu saeculorum optime illustrantur quum initia muneris pastoralis Franciscanorum tum ipsorum in eodem jure ac munere continuatio usque ad nostra tempora. Ibi enim invenitur clavis pro authentica interpretatione et vero sensu multiformis eorum activitatis tempore quatuor saeculorum. Ideo pro parte nostrae dissertationis necessarium ducimus brevi calamo quasdam observationes de croaticarum regionum politico-religioso ambitu historico, sub quo Franciscani operam suam navabant, exhibere, nec non de primaria eorum inquisitoria missione et tempore verae curae pastoralis assumptione necessarias notitias praebere. Quae omnia, ut postea in sequentibus patebit, ostendent nobis, quomodo Franciscani ministerium pastorale acquisierint, simul quoque in ulterioribus conclusionibus de conditione juridica parochiarum franciscanarum non absque momento erunt.

1. Brevis conspectus ambitus historici politico-religiosi

In historia Croatiae jure atque merito rerum gestarum periti adnotant semper prae oculis tenendum esse situm geographicum ipsius terrae Croatorum: invenitur enim in limite Europam mediam ab occidentali dividente;¹ in medio item inter Occidentem et Orientem.² Facile exinde

¹ Šišić F., *Povijest Hrvata u vrijeme narodnih vladara*, Zagreb 1925, 44.

² Šuflay M., *Hrvati u sredovječnom svjetskom viru*, in *Sveslavenski zbornik o tisućgodšnjici hrvatskog kraljevstva*, Zagreb 1930, 226 ss; Klaić V., *Poviest Bosne do propasti kraljevstva*, Zagreb 1882, 16; Šišić, o. c. 44.